



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Germanica

Châteillon, Sébastien

[S.l.], 1558

Capvt XVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54866](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54866)

Præterea animaduertendum est, in quo homine verum hoc bonum cognoscitur, ibi oportere etiam vitam Christi esse & manere, usque ad mortem corporis. Qui aliter opinatur, fallitur: & qui aliter dicit, mentitur: & in quo homine vita Christi non est, ei ne verum quidem bonum, aut veritas cognita est.

CAPVT XVII.

*Via ad
Christū.*

Nemo se putet ad hanc veram lucem, veramque scientiam, aut ad Christi vitam peruenire posse, multis quaestionibus, aut auditionibus, aut legendo, aut studendo, aut excellentibus arduisque scientiis, & eruditione, aut excellenti naturali ratione. dicam amplius: Quoadiu homo quicumque de re quapiam retinet, aut aliquid in amore, existimatione, cupiditate, studio, ue suo tractat, aut in manibus habet, quicquid illud tandem est, siue ipsemet homo, siue quodcunque aliud, non peruenit ad hoc. Hoc effatus est ipse Christus, vbi ait: Si vis venire post me, renuncia tibi ipsi, & sequere me, & Qui sibi ipsi non renunciat, & qui suae vi-
tae

*Matth. 7
16. c.*

Luc. 9. c

tæ non renunciat, eamque derelin-
 quit, & perdit, nõ est me dignus, nec
 esse potest meus discipulus. quorum
 eius verborum sensus hic est: Qui
 non omnia relinquit & perdit, is me
 nunquam verè cognoscere, neq; ad
 meam vitam venire potest. Ac licet
 hoc hominis ore dictum nõ fuisset,
 dicit tamen idè veritas per seipsam.
 est enim hoc ipsa veritate verum.
 Verùm quandiu homo partē & por-
 tionem, & maximè seipsum amat,
 idq; tractat, & in pretio habet, adeò
 cæcus est, & cæcus efficitur, vt nul-
 lum bonum norit, nisi quod sibi su-
 isque vtilissimum, accommodatissi-
 mum, iucundissimumq; sit. Hoc in-
 quam optimum ducit, habetq; cha-
 rissimum.

CAPVT XVIII.

Igitur quoniã vita Christi est om-
 ni naturæ ipsitati & egoitati acer-
 bissima: propterea ad veram vitam
 Christi, oportet omnem ipsitatem,
 egoitatem, & naturã relinqui, perdi,
 atque mori: propterea abhorret cu-
 iusque natura ab hac vita, eamque
 opinatur esse malam, iniustam, &
 stul-

*Christi
 vita hu-
 mane
 sapien-
 tiae inui-
 sa est.*